



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

Libri Vndecimi Argumentum, & Synopsis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)



LIBRI VNDECIMI

Argumentum, & Synopsis.

BESELEELEM tabernaculo fabricando principem Architectum à Deo destinatum, Exod. 31. cum Oliabo, qui socius illi diuina forte additus, Sapientia necessariis ad opus tantum opificiis instruit, & in somnis informat eorum mentes translatas in suam illam augustissimam domum, Artium omnium & disciplinarum, quarum ipsa inuentrix, & parens est, officinam, Proverb. 9. Inspectis igitur omnibus artificiis, antiquis, nouis, & aureo Sapientiae poculo probè poti fabrum principes aggrediuntur opus mandatum Moysi, Exodi cap. 25. ad 31. Sed hoc libro exequuntur, & elaborant potissimum tabernaculi ornamenta sex præcipua; Arcam testamenti, Altare Thymiamatis; mensam panum propositionis: Candelabrum cum lucernis septem; Altare holocaustorum; & labrum æreum de speculis mulierum, quæ excubabant ad ostium veteris tabernaculi. Cæteræ templi partes in librum 13. quo erigendum est tabernaculum, & Aaron sacerdotio summo inaugurandus reseruantur.

1 Sapientia disciplinarum, artiumque parens omnium, materiam omnibus ex Naturæ officina subiicit: ingenia artificum excitat ad excogitandum, quæ idonea, & apta ad fines, quos aut necessitas flagitat, aut voluptas, & liberalior humanæ vitæ cultus suadent: eas artes, quas simul omnes complexa est, non simul in lucem edit, sed paulatim, prout opportunum est stimulatis hominum ingenii, extundit, & profert.

2 Mittitur ad Beseelelem, quem beato sopore sopitum compendio doceat ostensis in sua Idearum officina artium machinamentis.

3 Sapienti

366 Libri XI. Argumentum,

3 Sapientiæ domus Proverb. 9. sicut in monte bipartita, hypæthrâ, & hypogæo. Quæ ad Theoriam pertinent disciplinæ, in hypæthrâ speculantur, vbi mensam, & epulum instruit Sapientia Dei notitiâ & castæ religionis sincero cultu: proposita mundi specie admirabili, multiplicique instinctu vocantur mortales ad summi opificis notitiam, & Sanctorum epulas, pabula verissima animorum: paucissimi respondent vocanti, & introéunt sacrarium. Plurimi solo nomine contenti Philosopho hæsitat foris, & Academiam, Lyceum, Stoam, & pergulas hortorum sibi instituunt. Hic Philosophiæ fallacis sectæ de mundo disputant, de Deo, extra Deum philosophantur; quos arguit Paulus ad Rom. 1.

4 Pugnæ & dissidia Philosophorum de mundo, & rerum principiis.

5 Insania Sophorum, qui sibi non sapiunt ipsis, quia Deum malunt ignorare, aut agniti premere silentio veritatem.

6 Mechanicarum artium cellæ, & officinæ in hypogæo domus: vbi Naturam sedentem in mediis, id est, diuinum opificium, artes humanæ imitantur, instigante animos Sapientiæ. Huc traducitur Beseleel, vt vetera, nouaque inuenta inspiciat Protoplastis tradita, & ex illis proficientia rudimentis.

7 Heu lanicum, & textrinam exercet, & plumariam à pauo, & pictis volucribus furatur: seruit vanitati iam uxorius Adamus: non nouus vestium luxus.

8 Tubalcaïn ferrariam strenuè excolit: Iubal numeros Musicos obseruat ad fraternalm incudem; Iaël pastoritiam facit, Gen. 4. 20. inde aliæ artes frequentatae.

9 Sapientia ex aureâ paternâ varias ingenii propensiones, varios affectus miscet, ac temperat artibus variis: ne vlli defint amatores, & insignes artifices.

10 Beseleel & Oliabus eo poculo Sapientiæ affatim beati, insignes euadunt in necessariis artibus.

11 Columnas duas, à filiis Sethi olim sculptas artium ante diluvium inuentarum monumentis, in Sapientiæ officinis

e bi-
erti-
sam,
gio-
abili,
mmi
ssima
eunt
opho
gulas
fecta
phan-

& re-

, quia
io ve-

hypop-
est, di-
e ani-
houá-
s pro-
iam à
ti iam

ume-
pasto-

open-
variis:

affatim
urium
ientia
fficinis

officinis obseruant Beseleel, & Oliabus : & literas in eis Hebræas, maternamque linguam agnoscunt. Falsa & fallax Græcia, quæ Cadmo, & Phœnicibus literarum inventionem adscribit: scribendi labor & Libraria cum mundo nata, & afflictio spiritus.

12 Ad artes Tabernaculo necessarias Sapientia convertit fabros, & aurificum tabernas ostendit, & metallicam: aquam Chrysosulcam, & capedines purgando auro.

13 Chymica fallax aurum, & metalla adulterat: fortunam fallacem auream, fucatam venditat stolidis: se se, aliisque vbiique pauperat: arcendæ à sacris fraudes, & mendacia.

14 Purpurariæ officinæ, & infectorum artes ostenduntur: & antiqua purpurarum piscatio ex Plinio lib. 9. cap. 27. Sacram olim, nunc luxus, & libidines prostituunt purpuram.

15 Lanificij, & textoriæ artes exhibentur, & materia multiplex staminum. Linum Asbestinum inter cætera mirabile, ex Plinio lib. 19. cap. 2. & torquenda byssus in sacras vestes, & vela.

16 Gemmaria, & scalptoria fabris ostenditur, & grandes Elenchi duodecim in portas totidem cœlestis Solymæ: lapidesque pretiosi in fundamenta muri, quæ Ioanni ostensa Apocal. 21. illustrant significationem mysticam gemmarum, quæ Rationali pontificio includendæ sunt, de quo lib. 13. fusiūs dicendum.

17 Sardonyches duo in Epomidem Aaronis: Tabernaculum, typus gemmeæ Ecclesiæ.

18 Vnguenta & aromata ad Sacerdotes consecrandos, & suffitus templi, in altari Thymiamatis.

19 Soluto denique somno summi artifices Beseleel & Oliabus ad opus faciendum mittuntur à Sapientia.

20 Salomon destinatus ædificando templo, donatus etiam Sapientiæ in somnis, quæ non perseverauit usque in senium sine maculâ. Enitendum sacris artificibus, qui domum Deo ædificant, ut constantissimè sapiant usque in finem & fastigium operis.

21 Vocatur

368 Libri XI. Argumentum,

21 Vocatur ad concionem populus ad offerenda munera in Dei donaria.

22 Insignis Ducum munificentia, & populi totius hilaris liberalitas tanta, ut per præconem fistenda fuerit.

23 Coactum è manubiis, spontaneis donis, & populi capitatione aurum, cæteramque materiam Præfecti fabrūm digerunt, & partitis in alios pensis aggrediuntur opus. Non major formicarum ad onera attentio plenis areis, quam hic opificum omnium.

24 Arcam fœderis molitur Beseleel: illius dignitas, & maiestas quanta: quæ significatio allegorica.

25 Materia lignea Arcæ, & cæterorum ex sylvis Settim. Qualis fuerit. Arbor Setis similis spinæ albæ; sed procea, crassaque, cedri instar, ut quibusdam placuit: certè tabulæ tabernaculi satis altæ, & latæ ostendunt arboris proceritatem.

26 Arcæ forma: probabilius est fuisse sine fulcris, & pedibus humi positam, præterque Propitiatorium, habuisse operculum, ut arcæ solent, vestitum auro cardinibus, & serâ aureis connexum, intrâque coronam insitum.

27 Propitiatorium, seu Oraculum ex auro, Arcæ operculo impositum, Cherubinis duobus insistentibus, aduersis vultibus, & contingentibus se se vtrinque alis. Finguntur, qua specie Ezechieli visi sunt quadriformes.

28 Dignatio Dei Maiestatis super Arcam descendens, & inter alas Cherubinorum desidentis ad colloquium cum Mose, & responsa populo edenda. Vaticinatur Moses aliquot prodigia olim memorabilia ad Arcæ maiestatem, & venerationem afferendam in Philisthaeis, Ozâ, & filiis Heli duobus, Ophni, & Phinee.

29 Altare Thymiamatis, quod à quibusdam acerra dicitur, sed ei addita fuit acerra aurea, qua Pontifex semel in anno Thymiamam inferret in domum interiorem. Quid ille vapor odorum cum altari significarit.

30 Mensa aurea, quæ propositos panes azymos duodecim in lancibus aureis, cum thureis phialis ferebat. Mystica mensa, thurisque significatio.

31 Candelabrum

31 Candelabrum aureum, cum lucernis septem describitur.

32 Allegorica, & tropologica totius Operis, & lumen significatio additur, afflata Bezeleel diuino spiritu.

33 Altare holocaustorum compingitur vestitis ære tabulis. Quidam è diabús partibus componunt: inferiori parti, tanquam basi, cratem æneam annexunt, quæ sicut pars pyxidis inferior, superiori immittatur: infra cratem fenestellam aperiunt ad deriuandos, efferendosque cineres. Sed incommodior videtur illa forma, tam depresso in altaris ventrem crate, ad componenda ex alto ligna, & extruendos hostiarum artus. Forma igitur alia probabilior crate superne intra coronam imposita, paulumque depresso, coenente in orbem reticulo: quæque eximebatur, suisque annulis, & vectibus separatim portabatur in viâ, cum aeterno igni. De situ altaris, & tumulo, vide quæ dicuntur libro 13.

34 Explicatur, & præfertur forma illa posterior altaris, & cratis æneæ exemptilis separatim portandæ.

35 Moses Leuitis, & toti Tribui Leui ostendit felicitatem fortis, & patrimonij, quod ipsis diuinitus obtigit in ministerio altaris. Significatio eius allegorica, cruentique Christi sacrificij indicatur.

36 Labrum æneum de speculis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi. Mos ille priscus piarum matronarum, & exercitatio explicatur.

37 Fingitur Maria soror Mosis, ut probabile, pietatis repentina impulsu, suadere aliis matronis excubias illas facientibus, ut sua specula, superbia, & vanitatis arma, Deo consecrent mutanda in expiatorium fontem.

38 Præxit ipsa cæteris, & illustrem laminam vouet, offertque: exemplum cæteræ sequuntur: quâ ex materia Bezeleel labrum molitur, quod libro 13. statuitur suo loco.